

finem attigimus, cum *Rhazes tract. 4. c. 19. f. 91.* inter ægri-  
tates obesitas familiares recenset etiam mortem subitanam & ve-  
narum ruptionem. Postremo illi malo obnoxios itidem eos  
pronuntiat *Cachetus in controversi; theoretic. pract. ad sect. I. Aphor:*  
*Hippocr: p. 214.* Vasorum sangviferorum hæc apertio verò vitæ  
vim aut finem facile & inadvertenter sæpe inferre potest; si  
in cavitate abdominis aut thoracis dicta vasa rupta sangvinem  
(qui vitæ est pabulum ac vehiculum) eructet. Atque sic e-  
jusmodi mors subitanea in iis æque ac aliis oriunda, falsò sub-  
inde in Apoplexiam, venenum in perniciem clanculum mistum  
ac datum, aliamve causam deleteriam refertur; sicuti errorem  
ejusmodi funerum sectio post mortem interdum detexit.

Quod insimul obesos apoplexia facile obruat & perimat,  
multi perhibent: Sic de nobili quæpiam à pleniori suo cor-  
poris habitu subito apoplexiâ, è vita sublatâ, observationem  
suppeditat *Timæus l. 6. cas. 2. p. 262.* Exempla plura de eo in-  
ferius, circa nicotianæ usum attingendum, occurrent.

Hactenus enumeratis addunt etiam quidam hoc, quòd  
in peste magis periclitentur obesi ob transpirationem cohibi-  
tam porosque à pingvedine occlusos, unde atomi pestilentes  
salino-volatiles acres facillimè fermentationem excitare que-  
ant; atque ideò femellas majori quàm mares periculo esse  
expositas, statuit *Herm: Grubius de medicam: simpl: cognosc: p. 52.*  
A quo non admodum abludit *Laur: Gieselerus de Peste Brunsvici:*  
*obs. 97.* Attestatur etiam *Celsus 2. 1. fol. II.* quòd obesi ple-  
rumque acutis morbis & difficultate spirandi strangulentur,  
subitòque sæpe moriantur. Non abludit ab his *Mart: Rulan-*  
*dus de morb: Hungar: c. 2. p. 21.* quòd corpora athletica febres  
malignas ac pestilentes facile suscipiant. Movent hoc loco  
nos nonnulla, ut veri & firmi quid non satis colligere possimus  
ex modo recensitis; obesitas quippe ad cachexiam ferè acce-  
dere videtur, sicuti etiam abit quandoque ejusmodi status in  
hydropem; morbos hos autem à febre ardente & peste cum  
ætiologia addita immunes pronuntiat *Thom: Jordanus de pestis*  
*phænom: tr. 2. cap. 6. p. 328.* Sic evnuchos etiam (qui citius aliàs  
pingvescere dicuntur) à venenis non ita lædi quàm alias me-  
morat *Libavius in singular: l. 1. p. 342.* Sed conciliari forsitan  
hæ